



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt Primvm. a Ex Concilio Lateran.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

est 74. cum sequentibus, de rei vindicat. & de creditore in l. si fundus 16. §. in vindicatione, ff. de pignor. licet antiquiores cum Bartolo in dict. l. 28. dicant implicare contradictionem, ut quis sit conductor, & simul possessor; nam facile non constat hæc contradictio: si enim potest quis precario rogare ut possideat, cur non poterit

conducere ut possideat, ut considerat D. Joseph. de Retes in repetita prelect. ad tit. de acquir. possess. cap. 3. consuet. 2. qui ad id probandum expendit textum in l. si quis ante 10. §. ultim. ff. de acquir. possess. & sic præfens textus accipiendus est quando locata fuit possessio ipsa.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

CAPVT PRIMVM.

^a Ex Concilio Lateran.



QUONIAM Ecclesia Dei, & in iis, quæ spectant ad subsidium corporis, & in iis, quæ ad profectum proveniunt animarum, indigentibus sicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque Cathedralium Ecclesiam ^b Magistro, qui clericos ejusdem Ecclesiae, & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur, quo docentis necessitas subleuetur, & discipulis via pateat ad doctrinam. In aliis quoque restituatur Ecclesiis, seu monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis ex hoc fuerit deputatum. Pro licentia verò docendi nullus omnino pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quarat, nec docere quemquam, qui sit idoneus, expetitâ licentiâ interdicat. Qui verò contra hoc venire præsumpserit, ab ecclesiastico fiat beneficio alienus: dignum quippe esse videtur, ut in Ecclesia Dei fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi dum vendit docendi licentiam, ecclesiasticum profectum nititur impedire.

1.

NOTÆ.

^a **L**ateran.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo. cap. 1. & in ipso Concilio Lateran. cap. 18. reperitur textus hic: unde apparet, scholasticam, seu dignitatem magistri scholæ in Ecclesiis Cathedralibus cepisse à temporibus hujus Concilii per annos Christi 1180. quod & docuerunt Petrus Gregor. lib. 15. synag. cap. 19. Azor. 2. part. instit. lib. 3. cap. 23. Escobar. de Pontific. jurisd. cap. 8. n. 41. & cap. 30. §. 2. & in Gallia hoc decretum Concilii renovatum fuit anno 1563. & sancitum ut in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus plures essent quam decem Canonici, unius præbendæ fructus destinarentur uni, aut pluribus scholarum Magistris ab Episcopis approbandis ad instructionem puerorum, & juventutis, tam in litteris, quam in præceptis fidei catholice, ut referunt Chopinus lib. 1. de sacr. pol. tit. 1. numer. 13. & 14. Maynard. in notab. qq. lib. 1. cap. 9. Spondanus in continuat. Baronii, anno 1563. num. 69. & similiter in Concilio Colonicali anno 1536. p. 12. cap. 3. idem cautum fuit.

^b Magistro.) Magister à monendo, vel monstrando dicitur, l. cui præcipua 57. ff. de v. s. Cassiodorus lib. 7. variar. ibi: Reverendum honorem sumit quisquis Magistri nomen accepit, quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus estimandum. Et cuiuslibet disciplinæ Præceptores Magistri dicuntur, l. qualem 19. §. final. ff. de recept. Ovidius lib. 1. eleg. 4. Illustrant Albericus Gentil. in lection. Virgil. cap. 4. & ille, cui præcipua cura rerum incumbit, Magister appellatur, dict. l. 57. & in tit. C. de Magistr. sacrorum sermiorum, magistr. militum, & similibus. Hinc pecoris magistros pro his, ad quos pertinet cura animalium, posuerunt Virg. 1. Georgic.

Pan curat oves, oviumque magistros. Varro lib. 1. de re rustica, ibi: Magister pecoris sine litteris idoneus esse non potest, quod rationes dominicas pascuarias conscire nequaquam rectè potest. Et magister dicitur qui ex numero creditorum præfectus est patrimonio debitoris vendendo, l. ult. ff. de curat. bonis dando, probat Brissonius de v. s. verbo Magistri.

CAPVT